

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

---

**SCHEMA CANONUM LIBRI V  
DE IURE  
PATRIMONIALI ECCLESIAE**

*(Reservatum)*



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS  
MCMLXXVII

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

---

**SCHEMA CANONUM LIBRI V  
DE IURE  
PATRIMONIALI ECCLESIAE**

*(Reservatum)*



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS  
MCMLXXVII

*Tempus utile ad responsiones huic Pontificiae Commissioni mittendas  
usque ad finem mensis octobris 1978 datur*

## PRAENOTANDA

In schemate « De iure patrimoniali Ecclesiae », quod a Pontificia Commissione Codici Iuris Canonici recognoscendo in sequentibus foliis praesentatur, canones recognoscuntur qui in CIC, Lib. III, Pars V et VI prostant.

Materia sane de beneficiis ecclesiasticis (CIC, Lib. III, Pars V) uno tantum canone expletur (can. 17), siquidem de ipsis non opportunum visum est normas in iure generali praebere, cum paucae omnino sint regiones in Ecclesia ubi beneficia habentur. Aptius de beneficiis edere normas poterunt Episcoporum Conferentiae, quibus adiuncta singularum regionum innotescunt, cum circa beneficia, quae adhuc existunt, plures rationes attendi debeant non solum ad disciplinam canonicam sed etiam ad relationes cum civili auctoritate quod attinet. Ideo norma in hoc schemate proponitur qua potestas tribuitur Episcoporum Conferentiis, ut, opportunis normis cum Apostolica Sede concordatis et ab ea approbatis, beneficiorum regimen moderetur, ea tamen lege ut ratio officii omnino praevaleat et redditus, immo ipsa dos beneficiorum ad institutum (*massa communis*) pro sustentatione clericorum (cfr. can. 16, § 1) conferatur. In novo Codice enim systema beneficiale suppressum erit, attamen ubi beneficia adhuc existunt aptae parandae sunt normae quibus et peculiaribus adiuncta prae oculis habeantur, et iura aliis quaesita ne laedantur et transitus prudenter foveatur a systemate beneficiis ad systema novi Codicis, in quo princeps locus, iuxta optata Concilii Vaticani II, officio ecclesiastico tribuitur.

Materia autem de bonis Ecclesiae temporalibus (CIC, Lib. III, Pars VI) fusius in praesenti schemate proponitur, ratione habita de quibusdam novis institutis, quae in hoc schemate vel in aliis partibus novi Codicis introducta sunt, attentis insuper optatis atque spiritu Concilii Vaticani II.

Uti notum enim est, in documentis Concilii Vaticani II praescriptiones habentur quae materiam de bonis temporalibus tangunt, quorumque consecutaria in lege ordinari debent (cfr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 17, 20, 21; *Apostolicam actuositatem*, n. 10; *Christus Dominus*, n. 28; etc.).

In recognitione huius schematis praeterea « Principia quae recognitionem Codicis Iuris Canonici dirigant » adamussim Commissio secuta est, illud praesertim quod subsidiariorum vocatur, quodque maxime in hac materia de bonis temporalibus attendi debuerat, cum circumstantiae diversarum regionum speciale influxum habeant in regimine bonorum.

Schema « De iure patrimoniali Ecclesia », iuxta adumbratum ordinem systematicum novi Codicis, erit Lib. V et quinque titulos comprehendit, scilicet:

- 1) canones generales (cann. 1-12); 2) de subiecto domini (cann. 13-17); 3) de

administratione bonorum (cann. 18-34); 4) de acquisitione, de alienatione et specieatim de contractibus (cann. 35-44); 5) de piis voluntatibus in genere et de piis foundationibus (cann. 45-57).

#### CANONES GENERALES

Imprimis ius nativum Ecclesiae asseritur ut, ad fines sibi proprios assequendos, bona temporalia possidere possit, itemque ut a christifidelibus quae ad ipsos fines necessaria sunt exigere possit sive per tributa personis ecclesiasticis imposita sive per subventiones a christifidelibus rogatas (cann. 1-5).

Deinde organa definiuntur quibus competit ordinationem tributorum statuere, taxas praefinire stipemque colligere (cann. 5-8) necnon norma, latior quam can. 1536 CIC, statuitur qua fidelium oblationes superioribus vel administratoribus cuiusvis personae iuridicae ecclesiasticae eorumve adiutoribus factae praesumuntur ipsi personae iuridicae factae, nisi contrarium probetur (can. 9).

Cum institutum praescriptionis, tamquam iuris subiectivi acquirendi vel amittendi necnon ab obligationibus sese liberandi modum, ob rationes systematicas, in Lib. I novi Codicis recenseatur, normae quaedam hic tantum dantur quae ad praescriptionem bonorum ecclesiasticorum attinent (cann. 10-12).

#### DE SUBIECTO DOMINII

Statuto principio de capacitate cuiuscumque personae iuridicae, sive publicae sive privatae, bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi, necnon de dominio bonorum quod ipsis, sub suprema auctoritate Romani Pontificis pertinet, fontes normarum indicantur diversae ad moderandum regimen bonorum secundum diversitatem personarum iuridicarum quibus bona pertinent (cann. 13-15).

Animadvertere enim iuvabit in Titulo de personis iuridicis (Lib. II novi Codicis) duplicem categoriam personarum iuridicarum, publicarum scilicet et privatarum, introductam esse, et ideo diversum regimen ipsorum bonorum praevideri debet, cum proprium personae canonicae privatae sit ut non nomine Ecclesiae agat, ideoque eius bona nec dici *ecclesiastica* illo stricto sensu ac bona aliarum personarum iuridicarum publicarum possunt.

Ex hac ratione opportunum visum est evitare connotationem *ecclesiastica* cum agitur de bonis (ut in can. 1497, § 1 CIC fit) sive quia non univoce applicari possit ad personas iuridicas publicas et privatas, sive quia facilem generare posset confusionem omnia bona eodem modo Ecclesiae pertinere, sive denique quia sensibilitati hodiernae minus congrua sit.

Deinde canon habetur novus (can. 16) qui moderatur tres massarum communium species, scilicet pro cleri sustentatione, pro praeventia sociali eiusdem cleri et pro aliis Ecclesiae necessitatibus, iuxta normas iam editas in M. P. *Ecclesiae*

*Sanctae*, I, 4, 5, 8. Materia haec de massis communibus, ad huiusmodi fines constitutis, est nova in systemate patrimoniali Ecclesiae; tales massae enim ad mentem Concilii Vaticani II (cfr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 20-21) necessariae omnino sunt ut, suppresso systemate beneficii, iam ad novum systema transiri possit in quo officii ecclesiastici titulares non habeant per se ius ad redditus ex dote officio adnexos. Quamvis enim nihil obstat quominus in posterum quaedam officia ecclesiastica bona temporalia tamquam dotem retinere possint, nexus ille, per quem titularis officii suos faciat dotis fructus, rescindi debet et aequa retributio ex massa communi attingi debet. Item ex massis communibus attingi debent quae necessariae sunt ad praeventiam socialem cleri et ad alias Ecclesiae necessitates. Quae omnia, uti patet, non sine difficultatibus et non ubique eodem modo ac eodem tempore ad effectum adduci poterunt, ideoque normae in schemate proponuntur generales, determinationibus magis concretis iuri particulari demandatis.

#### DE ADMINISTRATIONE BONORUM

In normis de bonis administrandis fere omnes iidem canones, quoad substantiam, referuntur qui in Codice viginti prostant; pauca ergo habentur quae peculiarem illustrationem egent.

Cum in can. 16, § 4 caveatur de quibusdam massis communibus quae superant ambitum unius dioecesis, opportunum videtur Episcoporum Conferentiis facultatem agnoscere edendi normas de illorum bonorum administratione (can. 19).

Circa immediatum bonorum administratorem profertur novum principium generale: « Administratio bonorum personae canonicae sive publicae sive privatae penes eum est qui immediate regit personam ad quam eadem bona pertinent, nisi aliud ferat ius particulare, statuta aut legitima consuetudo » (can. 23). Hoc modo superfluae reddi videntur normae quae in CIC (cc. 1182-1184) de administratoribus bonorum ad varias ecclesiarum species pertinentium statuuntur.

Normae de constitutione ac de competentia Consilii dioecesanii a rebus oeconomicis necnon Oeconomi dioecesanii habentur in alia parte novi Codicis (Lib. II, De Populo Dei) quia potius ad structuram Curiae dioecesanii pertinent, attamen, ad Oeconomum quod attinet, alia munera committi posse ab Episcopo hic asseritur (can. 22).

Ad diligentem ac proficuum administrationem bonorum assequendam necnon ad abusum vitandos, quaedam aliae normae, praeter illas quae sapienter in viginti Codice prostant, passim noviter introductae sunt. In can. 21 enim addita est norma de necessitate consensus Consilii a rebus oeconomicis ad expensas extraordinarias faciendas, quae scilicet ob adiuncta specialia in ratione erogationum non praevisae admittendae aestimentur ab Episcopo. In can. 25, § 2 cavetur ut Episcopus dioecesanus pressius determinet quinam actus ordinariae administrationis fines et modus excedant. In can. 28 quaedam adduntur circa obligationes admi-

nistratoris bonorum ut nempe fenora vel mutui vel hypothecae causa solvenda statuto tempore solvat, ipsamque debiti summam capitalem opportune reddendam curet atque rationem administrationis exeunte unoquoque anno componat atque ad Ordinarium transmittat. In can. 31, § 2 cavetur de obligatione administratorum reddendi rationem christifidelibus de bonis quae ab eisdem Ecclesiae offeruntur.

#### DE ACQUISITIONE, DE ALIENATIONE ET SPECIATIM DE CONTRACTIBUS

In canonibus huius tituli specialis mentio meretur applicatio principii subsidiariorum in definiendis legitimis superioribus quibus competat licentiam dare ad alienanda bona personae iuridicae ecclesiasticae. Licentia S. Sedis enim requiritur tantum si agatur de rebus ex voto Ecclesiae donatis, vel de rebus pretiosis artis vel historiae causa. Circa alia bona autem proponitur ut Conferentia Episcopalis pro sua cuiusque regione definiat summam supra quam Ordinarius indiget licentia cuiusdam organi ipsius Conferentiae ad hoc constituti et tantum si valor bonorum excedit duplo talem summam recurri debeat ad S. Sedem (can. 37).

Attenta impossibilitate practica urgendi in foro civili locationis contractus qui legibus civilibus respectivae nationis non sint conformes, proponitur canon quo praecipitur ut in locatione bonorum ecclesiarum leges civiles serventur (can. 42).

#### DE PIIS VOLUNTATIBUS IN GENERE ET DE PIIS FUNDATIONIBUS

In hoc titulo meliori ordine systematico colliguntur canones qui pertinent ad pias voluntates in genere (cc. 45-48) et ad pias fundationes in specie (cc. 49-57). Notio autem piae fundationis extenditur non solum ad bona temporalia alicui personae iuridicae data cum onere ex redditibus annuis Missas celebrandi aliasque praefinitas functiones ecclesiasticas peragendi vel opera pietatis apostolatus vel caritatis sive spiritualis sive temporalis persequendi (*piae fundationes non autonomae*), sed etiam ad omnes universitates rerum quae constitutae sint ad opera pietatis, apostolatus vel caritatis sive spiritualis sive temporalis persequenda, quaeque a competenti auctoritate ecclesiastica in personam iuridicam erectae sint (*piae fundationes autonomae*).

Proponitur ut piae fundationes non autonomae constitui possint vel perpetuae vel in diuturnum tempus, sicut et in viginti Codice. Quamvis enim Commissio aliquando accederet sententiae non admittendi pias fundationes *in perpetuum*, ob progressivam bonorum vilescitiam nostris temporibus communem (cfr. *Communicationes*, 5, 1973, 102), tamen, re maturius perpensa, non opportunum censuit vetitum ponere contra eos qui piam fundationem *perpetuam* constituere velint.

Ad praecavendas autem difficultates ex foundationibus perpetuis forte orituras, ius particulare conditiones opportunas imponere potest vi can. 50.

Specialis mentio meretur norma can. 49, § 2 de destinatione bonorum pie foundationis non autonomae in diuturnum tempus constitutae, post expletum tempus ipsius foundationis, ad institutum quod, ad normam can. 16, § 1 in dioecesibus erigi debet ad sustentationem clericorum providendum. Commissioni placuit iam in lege generali aliqua bona destinare illi instituto, quod peculiarem attentionem meretur, uti omnibus patet.

Normae de reductione onerum in schemate introductae sunt, quae pleraeque in recentioribus documentis S. Sedis circa hanc materiam continentur, quaeque satis criterio subsidiarietatis perfusae sunt (cc. 55-57).



## DE IURE PATRIMONIALI ECCLESIAE

---

### TITULUS I

#### CANONES PRAELIMINARES

*Can. 1* (can. 1495, § 1; *Legis Ecclesiae Fundamentalis*, can. 82, § 2)

Ecclesia catholica et Apostolica Sedes bona temporalia iure nativo acquirere, retinere et administrare valent ad fines sibi proprios proseguendos.

*Can. 2* (novus)

In Ecclesia bona temporalia acquiruntur, possidentur, administrantur in fines qui a doctrina Christi et ab ipsius Ecclesiae ordinatione statuuntur, praesertim ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri aliorumque ministrorum sustentationem procurandam, ad opera sacri apostolatus et caritatis exercenda.

*Can. 3* (can. 1496)

Ecclesiae nativum quoque ius est exigendi a christifidelibus quae ad fines sibi proprios sint necessaria.

*Can. 4* (can. 1496; LEF, can. 23)

§ 1. Christifideles obligatione tenentur contribuendi ut fines de quibus in can. 2 Ecclesia assequi possit.

§ 2. Specialiter meminerint christifideles se teneri obligatione curandi ut necessaria praesto sint subsidia ad honestam sustentationem eorum qui in bonum spirituale fidelium in Ecclesia operam impendunt.

§ 3. Episcopi de his obligationibus fideles monere tenentur et opportuno modo eas urgere curent.

*Can. 5* (cann. 1504, 1506, 1507)

§ 1. Ius Ordinariis locorum est tributa imponendi personis ecclesiasticis tam physicis quam iuridicis sive publicis sive privatis, quatenus necessaria sint in bonum dioecesis. Tributa ne imponantur nisi audito Consilio presbyterali.

§ 2. Conferentiae Episcoporum pro suo quaeque territorio normas statuere debent ad ordinationem tributorum regendam.

§ 3. Fideles subsidia Ecclesiae conferant per subventiones rogatas et iuxta normas a Conferentiis Episcoporum probatas. Episcopi tamen suasionem magis quam coactionem fideles inducant ad hanc obligationem implendam.

*Can. 6* (can. 1507)

Nisi aliud iure cautum sit, praefinire taxae pro actibus potestatis executivae gratiosae vel pro executione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministracionis sacramentorum et sacramentalium est conventus episcoporum provinciae.

*Can. 7* (can. 1503)

§ 1. Salvo iure institutorum vitae consecratae, vetatur persona quaevis privata sive physica sive iuridica sine proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine.

§ 2. Conferentia Episcopalis cuiusque nationis potest, auditis Superioribus institutorum vitae consecratae quorum interest, normas de stipe quaeritanda statuere, quae ab omnibus institutis servari debent, iis non exclusis quae ex institutione mendicantes vocantur et sunt, salvo tamen eorundem mendicandi iure.

*Can. 8* (novus)

In omnibus ecclesiis et oratoriis, etiam ad instituta vitae consecratae pertinentibus, quae de facto habitualiter christifidelibus pateant, Ordinarius loci praecipere potest ut specialis stips colligatur pro determinatis inceptis paroecialibus, dioecesanis, nationalibus vel universalibus, ad Episcopalem Curiam postea sedulo mittenda.

*Can. 9* (can. 1536)

§ 1. Nisi contrarium probetur oblationes superioribus vel administratoribus cuiusvis personae iuridicae ecclesiasticae eorumve adiutoribus factae, praesumuntur ipsi personae iuridicae factae.

§ 2. Oblationes de quibus in § 1 repudiari nequeunt sine licentia Ordinarii.

*Can. 10* (can. 1508)

Praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum Ecclesia pro bonis temporalibus recipit, ad normam cann. 173-175 (de normis generalibus).

*Can. 11* (can. 1510)

§ 1. Res sacrae quae in dominio privatorum sunt, praescriptione acquiri a privatis personis possunt, quae tamen eas adhibere nequeunt ad profanos usus; si vero consecrationem vel benedictionem amiserint, libere acquiri possunt etiam ad usus profanos, non tamen sordidos.

§ 2. Res sacrae quae in dominio privatorum non sunt, non a persona privata, sed a persona iuridica ecclesiastica contra aliam personam iuridicam ecclesiasticam praescriptione acquiri possunt.

§ 3. Sacrae habentur res quae consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinatae sunt.

*Can. 12* (can. 1511)

§ 1. Res immobiles, mobiles pretiosae, iura et actiones sive personales sive reales, quae pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio centum annorum praescribuntur.

§ 2. Quae ad aliam personam iuridicam ecclesiasticam, spatio triginta annorum.

TITULUS II  
DE SUBIECTO DOMINII

*Can. 13* (can. 1495, § 2)

Quaevis persona iuridica, sive publica sive privata est subiectum capax bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi ad normam iuris.

*Can. 14* (can. 1499, § 2)

Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Romani Pontificis, ad eam pertinet iuridicam personam, quae eadem bona legitime acquisiverit.

*Can. 15* (novus)

§ 1. Bona quae ad personas canonicas publicas pertinent moderantur statuta necnon canones qui sequuntur.

§ 2. Bona autem quae ad personas canonicas privatas pertinent moderantur ius particulare et propria statuta, nisi aliud in hisce canonibus cautum sit.

*Can. 16* (novus; *Ecclesiae Sanctae*, 8)

§ 1. Advigilent Episcoporum Conferentiae, iuxta normas ab ipsis condendas, ut in singulis dioecesibus habeatur speciale institutum quod bona vel oblationes colligat eum in finem ut honestae necnon fundamentaliter aequali substentationi omnium clericorum, qui in populi Dei servitium munere funguntur, apte provideatur.

§ 2. In nationibus ubi praevidentia socialis in favorem cleri nondum apte ordinata est, curent Conferentiae Episcoporum pro suo cuiusque territorio ut habeantur instituta quibus, sub vigilantia Hierarchiae, securitati sociali clericorum satis provideatur.

§ 3. In singulis dioecibus vel regionibus, modis ab Episcoporum Conferentiis definiendis, laicorum etiam opera adhibita, constituatur quantum fieri possit, massa communis qua valeant Episcopi obligationibus erga alias personas Ecclesiae deservientes satisfacere variisque dioecesis necessitatibus occurrere quaque etiam possint dioeceses divitiores pauperioribus subvenire.

§ 4. Pro diversis locorum adiunctis, fines de quibus in §§ 2 et 3 aptius obtineri possunt per instituta dioecesana inter se foederata, vel per cooperationem aut etiam per convenientem consociationem pro variis dioecibus, imo et pro toto territorio constitutam. Foveantur insuper relationes, quoties id expedire videatur, inter huiusmodi instituta diversarum nationum ad eorum maiorem efficacitatem promovendam ac tuendam.

§ 5. Haec instituta ita, si fieri possit, constituenda sunt ut efficaciam quoque in iure civili obtineant.

*Can. 17 (novus)*

In regionibus ubi beneficia proprie dicta adhuc existunt, Episcoporum Conferentiarum est, opportunis normis cum Apostolica Sede concordatis et ab ea approbatis, huiusmodi beneficiorum regimen moderari, ea tamen lege ut ratio officii omnino praevaleat et reditus immo ipsa dos beneficiorum ad institutum de quo in can. 16, § 1 (paulatim) conferantur.

TITULUS III  
DE ADMINISTRATIONE BONORUM

*Can. 18* (can. 1518)

Romanus Pontifex vi primatus iurisdictionis est omnium in Ecclesia bonorum supremus administrator et dispensator.

*Can. 19* (novus)

Massa bonorum ex diversis dioecesibus provenientium administratur secundum normas a Conferentia Episcopali legitime statutas.

*Can. 20* (can. 1519)

§ 1. Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum, quae ad personas iuridicas pertinent suae potestati subiectas, salvis legitimis praescriptionibus, quae eidem potiora iura tribuant.

§ 2. Habita ratione iurium, legitimarum consuetudinum et circumstantiarum, Ordinarii, editis peculiaribus instructionibus intra fines iuris universalis et particularis, universum administrationis bonorum negotium ordinandum curent.

*Can. 21* (can. 1520, § 3)

Episcopus dioecesanus ad actus ponendos administrationis maioris momenti Consilium a rebus oeconomicis de quo in can. 306 (de Populo Dei) audire debet; eiusdem tamen Consilii assensu eget, praeter casus iure universali vel tabulis foundationis specialiter expressos, etiam ut expensas faciat extraordinarias, quae scilicet ob adiuncta specialia in ratione erogationum non praevisas admittendas existimet.

*Can. 22*

Praeter munera de quibus in can. 308 (de Populo Dei) Oecono committi possunt ab eodem Episcopo munera de quibus in cann. 20, § 1 et 24.

*Can. 23* (novus; cfr. can. 1182)

Administratio bonorum personae iuridicae publicae penes eum est, qui immediate regit personam ad quam eadem bona pertinent, nisi aliud ferat ius particulare, statuta aut legitima consuetudo.

*Can. 24* (can. 1521, § 1)

In administratione bonorum personae iuridicae publicae, quae ex iure vel tabulis foundationis aut propriis statutis suos non habent administratores, Ordinarius assumat viros idoneos, qui elapso triennio a munere cessant, nisi ab Ordinario iterum nominentur.

*Can. 25* (can. 1527)

§ 1. Administratores invalide ponunt actus qui fines modumque ordinariae administrationis excedunt, nisi prius ab Ordinario facultatem scripto dandam impetraverint.

§ 2. Episcopi dioecesani est, postquam Consilium a rebus oeconomicis audierit, determinare, editis peculiaribus praescriptionibus intra ambitum iuris sive universalis sive particularis et statutorum particularium uniuscuiusque instituti, quinam actus ordinariae administrationis fines et modus excedant.

§ 3. Nisi quando et quatenus in rem suam versum sit, persona iuridica non tenetur respondere de actibus ab administratoribus invalide positus. De actibus autem ab administratoribus illicite sed valide positus respondebit ipsa persona iuridica, salva eius actione adversus administratores qui damna eidem intulerunt.

*Can. 26* (can. 1521, § 2)

Omnes, sive clerici sive laici, qui legitimo titulo partes habent in administratione bonorum, munera sua adimplere tenentur nomine Ecclesiae, ad normam iuris.

*Can. 27* (can. 1522)

Antequam administratores bonorum suum munus ineant:

1° debent se bene et fideliter administraturos coram Ordinario vel eius delegato iureiurando cavere;

2° accuratum ac distinctum inventarium, ab ipsis subscribendum, rerum immobilium, rerum mobilium pretiosarum aliarumve cum descriptione atque aestimatione earundem redigatur, redactumque recognoscatur;

3° huius inventarii alterum exemplar conservetur in tabulario administrationis, alterum in archivo Curiae; et in utroque quaelibet immutatio adnotetur quam patrimonium subire contingat.

*Can. 28 (can. 1523)*

§ 1. Omnes administratores bonorum diligentia boni patrisfamilias suum munus implere tenentur.

§ 2. Exinde debent:

1° vigilare ne bona suae curae concredita quoquo modo pereant aut detrimentum capiant, initis in hunc finem, quatenus opus sit, contractibus adsecurationis;

2° praescripta servare iuris tam canonici quam civilis, aut quae a fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint;

3° redditus bonorum ac proventus accurate et iusto tempore exigere exactosque tuto servare et secundum fundatoris mentem aut legitimas normas impendere;

4° foenus vel mutui vel hypothecae causa solvendum statuto tempore solvere, ipsamque debiti summam capitalem opportune reddendam curare;

5° pecuniam, quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Ordinarii, in fines Ecclesiae vel instituti occupare;

6° accepti et expensi libros bene ordinatos habere;

7° rationem administrationis exeunte unoquoque anno componere atque ad Ordinarium transmittere;

8° documenta et instrumenta, quibus iura Ecclesiae aut instituti in bona nituntur, rite ordinare et in archivo convenienti et apto custodire; authentica vero eorum exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivo Curiae deponere.



§ 3. Provisiones accepti et expensi ut ab administratoribus quotannis componantur enixe commendatur; iuri autem particulari relinquitur eas praecipere et pressius determinare modos quibus exhibendae sint.

*Can. 29* (can. 1535)

Intra limites dumtaxat ordinariae administrationis, fas est administratoribus de bonis mobilibus quae ad patrimonium stabile non pertinent, donationes ad fines pietatis aut christianae caritatis facere.

*Can. 30* (can. 1524)

Administratores bonorum:

1° in operarum locatione leges etiam civiles, quibus labor et vita socialis dirigitur, adamussim servant, iuxta principia ab Ecclesia tradita;

2° iis, qui operam ex conducto praestant, iustam et honestam mercedem tribuant ita ut eisdem facultates praebeantur suam suorumque vitam religiosam, familiarem, socialem, culturalem adaequate colendi.

*Can. 31* (can. 1525)

§ 1. Reprobata contraria consuetudine, administratores tam ecclesiastici quam laici quorumvis bonorum, quae ex Ordinarii loci potestate regiminis non sint legitime subducta, singulis annis officio tenentur rationes Ordinario exhibendi, qui eas Consilio a rebus oeconomicis examinandas committat.

§ 2. De bonis, quae a fidelibus Ecclesiae offeruntur, administratores, nisi iusta causa aliud suadeat, rationes eisdem fidelibus reddere debent iuxta modum iure particulari statuendum.

*Can. 32* (can. 1526)

Administratores litem nomine Ecclesiae ne inchoent neve contestentur in foro civili nisi licentiam scripto datam Ordinarii proprii et Ordinarii loci obtinuerint.

*Can. 33* (cann. 1525, 1526, 1926)

§ 1. Si controversia de bonis temporalibus oriatur, Ordinarius vel iudex partes hortetur ut, quantum fieri potest, per transactionem componatur.

§ 3. In transactione servantur normae statutae a legibus civilibus loci in quo transactio initur, nisi iuri canonico adversentur.

*Can. 34* (can. 1528)

Etsi ad administrationem non teneantur titulo officii ecclesiastici, administratores munus expresse vel tacite susceptum arbitrato suo dimittere nequeunt.

TITULUS IV  
DE ACQUISITIONE, DE ALIENATIONE  
ET SPECIATIM DE CONTRACTIBUS

*Can. 35* (can. 1499, § 1)

Ecclesia acquirere bona temporalia potest omnibus iustis modis iuris sive naturalis sive positivi, quibus id aliis licet.

*Can. 36* (can. 1530)

Ad alienanda bona quae personae iuridicae ecclesiasticae ex legitima assignatione patrimonium stabile constituunt, requiritur licentia auctoritatis ad normam iuris competentis, sine qua alienatio invalida est.

*Can. 37* (can. 1532)

§ 1. Salvo iure Institutorum vitae consecratae legitima auctoritas de qua in can. 36 quoad personas iuridicas publicas iuris dioecesani est loci Ordinarius qui audire tenetur Consilium a rebus oeconomicis et consensum habere eorum quorum interest.

§ 2. Si tamen agatur de rebus quarum valor summam a Conferentia Episcopali pro sua cuiusque regione definiendam excedit, licentia loci Ordinarii prius confirmari debet a commissione speciali ad eum finem ab eadem Conferentia constituta.

§ 3. Si agatur de rebus ex voto Ecclesiae donatis vel de rebus pretiosis artis vel historiae causa, vel de quibusvis bonis quorum valor

excedit duplo summam a Conferentia Episcopali ad normam § 2 definitam, auctoritas competens ad valide agendum etiam licentiam Sanctae Sedis obtinere debet.

§ 4. Si res alienanda sit divisibilis, in petenda licentia vel confirmatione pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae; secus licentia irrita est.

§ 5. *Ii qui in alienandis bonis consilio vel consensu partem habere debent, ne praebeant consilium vel consensum nisi prius exacte fuerint edocti tam de statu oeconomico personae iuridicae cuius bona alienanda proponuntur, quam de alienationibus iam peractis.*

*Can. 38 (can. 1530)*

§ 1. Ad alienanda bona requiritur insuper:

1° iusta causa veluti *urgens necessitas, evidens utilitas, pietas, caritas, bonum pastorale;*

2° aestimatio rei alienandae a peritis scripto facta.

§ 2. *Aliae quoque cautelae a legitimo superiore praescriptae servantur ut Ecclesiae damnum vitetur.*

*Can. 39 (can. 1531)*

§ 1. Res alienari minori pretio ordinarie non debet quam quod in aestimatione indicatur.

§ 2. Pecunia ex alienatione percepta vel in commodum Ecclesiae caute collocetur, vel iuxta alienationis fines, prudenter erogetur.

*Can. 40 (can. 1533)*

*Sollemnitates ad normam cann. 36, 38 et 39 requiruntur non solum in alienatione, sed etiam in quolibet negotio quo conditio patrimonialis Ecclesiae peior fieri possit.*

*Can. 41 (can. 1534)*

*Si quando bona sine debitis quidem sollemnitatibus canonicis alienata fuerint, sed alienatio sit civiliter valida, auctoritatis competentis*

est decernere, omnibus mature perpensis, an et qualis actio, personalis scilicet vel realis, a quonam et contra quemnam instituenda sit ad Ecclesiae iura vindicanda.

*Can. 42 (can. 1541)*

§ 1. In locatione bonorum servantur leges civiles.

§ 2. Firmo praescripto § 1, Conferentiae Episcoporum est, attentis locorum adiunctis, normas statuere de bonis Ecclesiae locandis, praesertim de licentia a competenti auctoritate ecclesiastica obtinenda.

*Can. 43 (can. 1540)*

Nisi res sit minimi momenti, bona Ecclesiae propriis administratoribus eorumve coniunctis usque ad quartum consanguinitatis vel affinitatis gradum non sunt vendenda aut locanda sine speciali competentis superioris licentia scripto data.

*Can. 44 (can. 1529)*

Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, et de solutionibus, eadem iure canonico in re quae potestati regiminis Ecclesiae subest iisdem cum effectibus servantur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur.

TITULUS V  
DE PIIS VOLUNTATIBUS IN GENERE  
ET DE PIIS FUNDATIONIBUS

*Can. 45* (can. 1513)

§ 1. Qui ex iure naturae et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa, bona relinquere.

§ 2. In dispositionibus mortis causa ad causas pias servantur, si fieri possit, sollemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint heredes moneri debent de obligatione qua tenentur ex iustitia adimplendi testatoris voluntatem.

*Can. 46* (can. 1514)

Voluntates fidelium facultates suas in pias causas donantium vel relinquentium, sive per actum inter vivos, sive per actum mortis causa, legitime acceptatae, diligentissime impleantur etiam circa modum administrationis et erogationis bonorum, salvo praescripto can. 47, § 3.

*Can. 47* (can. 1515)

§ 1. Ordinarii omnium piarum voluntatum tam mortis causa quam inter vivos executores sunt.

§ 2. Hoc ex iure Ordinarii vigilare possunt, ac debent, etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur, et alii executores debent, perfuncti munere, illis reddere rationem.

§ 3. Clausulae huic Ordinariorum iuri contrariae, ultimis voluntatibus adiectae, tamquam non appositae habeantur.

*Can. 48* (can. 1516)

§ 1. Clericus itemque sodalis Instituti vitae consecratae qui bona ad pias causas sive per actum inter vivos, sive ex testamento fiduciarie

accepit, debet de sua fiducia Ordinarium certiozem reddere, eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adiunctis indicare; quod si donator id expresse et omnino prohibuerit, fiduciam ne acceptet.

§ 2. Ordinarius debet exigere ut bona fiduciaria in tuto collocentur et vigilare pro executione piae voluntatis ad normam can. 47.

§ 3. Bonis fiduciariis alicui sodali Instituti vitae consecratae commissis, si quidem bona sint attributa loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis causis iuvandis, Ordinarius de quo in §§ 1, 2, est loci Ordinarius; secus est Moderator Maior in instituto clericali vitae consecratae, Ordinarius eiusdem sodalis proprius in instituto laicali vitae consecratae.

*Can. 49* (can. 1544)

§ 1. Nomine piarum foundationum intelleguntur:

1° universitates rerum ad fines de quibus in can. 71, § 2 (de Populo Dei) destinatae et a competenti auctoritate ecclesiastica in personam iuridicam erectae (*piae foundationes autonomae*);

2° bona temporalia alicui personae iuridicae publicae quoquo modo data cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus, iure particulari determinandum, ex redditibus annuis Missas celebrandi aliasque praefinitas functiones ecclesiasticas peragendi, aut fines de quibus in can. 71, § 2 (de Populo Dei) aliter persequendi (*piae foundationes non autonomae*).

§ 2. Si pia fundatio non autonoma in diuturnum tempus constituta sit, eius bona debent, expleto tempore, ad institutum de quo in can. 16, § 1 destinari, nisi alia fuerit fundatoris voluntas expresse manifestata.

*Can. 50* (can. 1545)

Iuris particularis est definire conditiones sine quibus piae foundationes constitui vel acceptari nequeunt.

*Can. 51* (can. 1546)

Ut fundatio a persona iuridica valide acceptari possit, requiritur licentia Ordinarii in scriptis data, qui eam ne praebet antequam legitime

compererit personam iuridicam tum novo oneri suscipiendo, tum iam susceptis satisfacere posse; maximeque caveat ut reditus omnino respondeat oneribus adiunctis secundum cuiusque loci vel regionis morem.

*Can. 52* (can. 1547)

Pecunia et bona mobilia, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto ab Ordinario approbando deponantur ad eum finem ut eadem pecunia vel bonorum mobilium pretium custodiantur et quamprimum caute et utiliter secundum prudens eiusdem Ordinarii iudicium, auditis et iis quorum interest et proprio a rebus oeconomicis Consilio, collocentur in commodum eiusdem foundationis cum expressa et individua mentione oneris.

*Can. 53* (can. 1548)

§ 1. Fundationes, etiam viva voce factae, scripto consignentur.

§ 2. Alterum tabularum exemplar in Curiae archivo, alterum in archivo personae iuridicae, ad quam fundatio spectat, tuto asservetur.

*Can. 54* (can. 1549)

§ 1. Servatis praescriptis cann. 46-48 et can. 31, onerum ex piis foundationibus incumbentium tabella conficiatur quae apud rectorem ecclesiae vel instituti in loco tuto servetur.

§ 2. Praeter librum de quo in can. 128, § 1 (de Sacramentis), alter liber retineatur et apud eundem rectorem servetur, in quo singula onera eorumque implementum et eleemosynae adnotentur.

*Can. 55* (can. 1517; *Pastorale Munus*, 11-12)

§ 1. Reductio onerum Missarum generatim reservatur Sedi Apostolicae.

§ 2. Si vero in tabulis foundationum id expresse caveatur, Ordinarius ob imminutos reditus onera Missarum reducere valet.

§ 3. Episcopis dioecesanis, aliisque in iure ipsis aequiparatis, competit iure facultas reducendi ob diminutionem redituum, quamdiu causa perduret, ad rationem eleemosynae in dioecesi legitime vigentis, Missas

legatorum, quae sint per se stantia, dummodo nemo sit qui obligatione teneatur et utiliter cogi possit ad eleemosynae augmentum faciendum.

§ 4. Iisdem iure competit facultas reducendi onera seu legata Missarum gravantium beneficia aliave instituta ecclesiastica, si redditus beneficii aut instituti insufficientes evaserint ad honestam beneficiarii sustentationem et ad implenda opera sacri ministerii forte beneficio adnexa, vel ad finem proprium eiusdem instituti ecclesiastici congruenter consequendum.

§ 5. Iisdem facultatibus de quibus in §§ 3 et 4 gaudent Supremo Moderatores institutorum clericalium vitae consecratae iuris pontificii.

§ 6. Facultates in §§ 3, 4 comprehensas Episcopi delegare non valent nisi Coadiutori, Auxiliaribus, Vicariis Episcopalibus et Vicario Generali; Vicarii autem ac Praefecti Apostolici suo tantum Vicario Delegato.

*Can. 56* (novus; cfr. M. P. *Firma in traditione*, d. 13-6-1974)

Iisdem auctoritatibus de quibus in can. 55 facultas insuper competit transferendi, congrua de causa, onera missarum in dies, ecclesias vel altaria diversa ab illis, quae in foundationibus sunt statuta.

*Can. 57* (novus)

§ 1. Firmis praescriptis can. 55, ultimarum voluntatum in pias causas reductio, moderatio, commutatio, siquidem fundator potestatem hanc Ordinario expresse concesserit, potest ab eodem fieri ex iusta tantum et necessaria causa.

§ 2. Si executio onerum impositorum, ob imminutos redditus aliamve causam, nulla administratorum culpa, impossibilis evaserit, Ordinarius, auditis iis quorum interest et proprio Consilio a rebus oeconomicis atque servata, meliori quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aequae imminuere. In dubio circa intentionem aut modum attingendi finem testatoris, iudicium eidem Ordinario reservatur.

§ 3. In ceteris casibus recurrendum est ad Sedem Apostolicam.



## INDEX

<i>Praenotanda</i> . . . . .	3
Titulus I - CANONES PRAELIMINARES . . . . .	8
Titulus II - DE SUBIECTO DOMINI . . . . .	11
Titulus III - DE ADMINISTRATIONE BONORUM . . . . .	13
Titulus IV - DE ACQUISITIONE, DE ALIENATIONE ET SPECIATIM DE CON- TRACTIBUS . . . . .	17
Titulus V - DE PIIS VOLUNTATIBUS IN GENERE ET DE PIIS FUNDATIONIBUS	20